DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS III. FEBRVAR.

M. DANIELE ARBINET, Doctore Medico Præside.

1047

An febribus intermittentibus inutilis Chinchinæ puluis.

OPTIMA est augendæ medicinæ via & ratio, cum in abditiores naturæ thesauros sic sese insinuat Medicus, vt quicquid inde eruat depromatve, in ægrorum commoda, prius non conferat, quam sensuum & mentis acie penitus id introspexerit; tum demum quam certo exploratas inuenti remedij vires dirigit, tam feliciter aduersus morbos vsurpat, & præcognito successu securus remedium præstat ab omni parte beatum. Hanc vnam, & longe maximam medicæ artis laudem sæpe opprimit credula nostrorum indiligentia, cum ex temerario empiricorum ausu aut cæcæ multitudinis assensu medicamenta apud illos æstimatione & vsu fiunt eximia, quia procul accersita, & magnis itinerum sumptibus conquisita habentur. Postremis ecce temporibus Chinensis pulueris miraculum percrebruit spargente fama, & nouitati magis quam vtilitati, sic vulgus est hominum, plerisque fauentibus, ignobilis ramenti aucta nondum declaratis viribus authoritas tantum valuit, vt intermittenti extinguendæ febri auxilium præsens etiamnum iactaretur, nisi deprehensam rei inanitatem Medicus retexisset. Male in publicum naturæ & artis opprobrium trahitur subita quorumdam valetudo, ægris maxima morbi parte defunctis, aut febre exsese consumpta, nullaque adeo reditura, quia præter spem conualuisse datum est. Ideo ne, effundendi ægrorum loculi, vt merces sibi comparent quas nulla vis medica commendat? Aut sponte suscepto errore credendum rediuiui mali fatales circuitus clausisse ignaui haustum pulueris, quem perperam & inclinato iam morbo impegit callidus aduena, erudita vero fraude generoso diluit mero, ne sine eo nihil valere liqueret?

NIHILOMINVS peruagata febrifugi pulueris admirabilitas fidem tulit elidendæ primo in ortu febris, & Chinchina nouum inter remedia successit tam vana quam breui laude. Nihil remedijs patria, & peregrinum imponit: solius medici iudicio stat illorum vilitas aut pretium: ille autem vt probet pluribus annis optat emerita, & quorum primos euentus fortunatos medicinæ auspicijs consequentium nobilitauit par & constans felicitas. Ancipiti ægrorum solatio non satis contestata. hidrotica, vretica, & diuretica, quibus non raro febris discussa est, optimus medendi magister vsus iam pridem explosit Chinchinæ licet anteponenda. An longiùs à scopo aberrant, qui diuturniori tertiana quattanaue vt ægros liberent metasyncritica admouent, & anilia periaptis adhibendis figmenta pene assecuti intimis visceribus infixam & hærentem intermittentium febrium causam exhaustum iri putant vlcusculis procul excitatis, & tenui ad carpum erumpente sanie? An qui febrem naturæ bonitate, mediciue industria, peremptam placauisse se gloriantur adiecto exiguo puluere, & medicati meri libamine humigatum fomitem reduces flammas posthac suppressurum? Equidem vt multa in morborum curam casus inuehit, quibus suam salutem ægri debuisse nequicquam profitentur, sic epoto chinchinæ puluere febris aliquando videri potuit, aut omnino desæuiisse, aut ad diem latuisse, forte aliorsum auocata natura neque stato tempore iustam humorum sarcinam decutiente. Verum quantum differunt causæ fortuito antegressæ, & naturalem efficientiam continentes, tantum discrepat chinchinæ vsus a remediis recta ratione institutis, & febrem febrisque causas tollentibus; quorum in censum irrepere nunquam feret Medicus, quæ nullo virium delectu sola nouitas promulgauit, vnum magis visa facere vt occupatam ægrorum imbecillitatem impunè ludat & diù.

ETENIM contundendo alienigenæ arboris cortice vt nouum puluerem conflaret quid secuta fuit ἰνδοδρομῶν superstitio vel calliditas? Iacent iam dudum arcanæ medicamentorum vires, & apud bonos quosque improbantur remedia certa vi destinatos morbos petentia. Neque immerito Chinchinæ vim in morbis & effectum negat medicus, cuius causam non videt. Præterea salubri quantumuis cœli aspiratione, quouè felicioris soli satu Chinchina adoleuerit, in præsentem febrium medicinam iure diffidunt ex plebe non insciti homines extremis vsque ab indis exportata corticis fragmina illibatam virtutem seruauisse, quin obsoleuerit, vt quam exsucca & vieta tam ad id in quod vnice iactantur inutilia compitalis trutina dependat. Medici vero statera cum examinatur gentium ludibrio famosus puluis, & improbo illo morborum & medicamentorum æstimatore & iudice analogismo, leues in eo dotes & plurium mensium spatio confirmatæ febri impares arguunt ratio & sensus. Dulcem in Chinchina prælibatum saporem amarus paulo luculentior excipit, mox vtrumque palato deiicit aspera & incondita, quadam insuauitate austerus, quam socialis vini gratia vix emendat. In tam dissimili saporum genere vires omnes medentibus supetuacaneæ. Quid enim aduersus febrem aut alto in corpore delitescentes causas valituræ sunt, quæ euanidam chinchinæ dulcedinem proferunt, aërei humoris & caloris imbelles reliquiæ: siue autem temporis situ siue nautεæ afflatu dulcioris succi corrupta parte Chinchina amarescat, siue suapte natura, necessario caret irritamento, quod purgantibus inest ex partium tenuitate constans coniuncta acrimonia. Ergo quantulacumque in Chinchina spectabilis esset ab amarore extergendi vis, iam ante exoletam & extimis dumtaxat partibus oberrantem vina marcida dissipauere, aut ventriculi calore leui momento dissoluta febrilibus succis salutares non addit aculeos, quibus cunctantem naturam exstimulet, vt restantes disiiciat & spargat aut confertim foras protrudat. Denique quantum in chinensi cortice austerus præpollet sapor, tantum, quæ ab eo numquam disiungitur astringendi vis, cæteras superat. Hæc cum minor est & congenerum qualitatum imperio subdita, medicamentorum tenuitatem non mediocriter adiuuat, dum mitius eam impellit & occlusis retro meatibus admissam vetat regredi, eadem cum primas tenet sicut in Chinchinæ cortice, terreni, cuius soboles est elementi, dominatu omnem medicamentorum efficaciam ita defigit, vt quouis subnixa vehiculo, ne vini quidem agilitate incitata vlterius se se queat promouere, quam vbi primum consedit, neque vsque permanare, ad morbi sedem, vt illum propius adorta prauos quibus alitur succos, aut ebibat, aut absumptos discutiat.

FRVSTRA adeo comminuitur chinensis cortex, & vt eò perueniat quò ipse tendere non potest vinum sæpe tulit suppetias non innocentes. Cùm enim omni febrium intermittentium tempore vino sit abstinendum, ineunte paroxysmo eo nocet magis, quo minus conuenit recenti morbi insultu labascentem naturam aliunde impelli, ne penitus ruat, tum vero vinum turbas mouet & damnum damno cumulat, cum abreptis Chinchinæ quisquiliis & ascititia fæce sordidum partes contaminauerit. Vbicumque enim hæserit chinensis puluis, confestim ea loca prouoluta vligine obsita minus difflari necesse est & nouis obicibus septum humorem caloris operam ludos diu facere. Huius ingeniti & omnia in nobis regentis operarij momenta omnia captari tanti est ad curandas febres, quanti nulla in morbis remedia nisi ex ægrorum salute impertiri. Medici enim & naturæ hoc interest, quod hic conquisita & parata medicamenta naturæ vtenda offerat, & vnum agat vt motibus illius obsecundet, illa vt oblatis vtatur ex votis, suam semper esse amat neque districta caloris opera inter morbum & remedium diuidi. Hoc vero impendio facit instituta & insolens Chinensi puluere febrium curatio. Imbecillo n. & laboranti calori difficillimo morbi tempore puluerem obiicit contumaciori ægritudine mirum! quanto leuiorem; naturam vero crudo adhuc & reuirescente morbo implicatam distrahit quando sollicitam ab inchoato opere auocari minimè oporteat, nedum medicum inclinatam & prope iacentem inutili remedio affligere.

FEBRIS intermittens raro sine grauivisceris alicuius affectu orta est, cui leuando nulla medicina certior, quam quæ humorem alterno putredinis ortu & obitu æstuantem funditus eliminat; febris vero fomitem sic emendat, vt nulla dehinc labe humores inquinet. Alterum vnius naturæ est quæ veterem partium intemperiem melioribus succis sensim obliterat quos, sola alimenta suppeditant, nequaquam inamabilis edentuli & rancidi corticis durities. Alterum & in febrium curatione præcipuum obtinebit Medicus dum ea adhibeat remedia, quibus corpus & viscera vniuersim nitere queant substracta retro & ante imminentis incendij materie. Fingendis enim & suscipiendis remediorum nouitatibus frustra se exercent Medicorum ingenia. Res palam est. Vt quæ longa tulit febris fastidia ægris decoquas, emittendæ & sub lucem ponendæ sunt dolosæ vstulatæ bilis reliquiæ, ne supposito igne silentio irrepant acrius demum sæuituræ. Hæc vero consilia parum promouet omnis excretionis ciendæ exors Chinchina. Nam siue laxatis cutis meatibus erupturæ bili, aut reseratis vrinæ ductibus, vel quod in febre optabilius, cuicuimodi illa sit, communi totius corporis sentina subducenda, numquam significauit febrilem fundum sese exhausturum. Vnum purgantium genus exigendis humoribus quicquid vitij & corruptelæ traxerint natum est. Illorum vsum cum naturæ propensione humoris maturitate & motu qui attemperat omnes ille persanandis febribus beatioris medicinæ numeros expleuerit. Hoc ipsum factitant Chinensis pulueris diribitores commixtis eo poculis febrem sollicitare numquam ausi, quin præmisso sanguine & secundis auibus velitata purgatione molliorem se morbus dederit, atque mitigata humoris ferocia vltro se dedat victori febrium pulueri. Sic illis placet præstantioribus remedijs palmam præripere, vt deteriori tradant. Quid tum Medicus? Vim & medendi præstantiam, quam ratione & vsu longo comprobata remedia consecuta sunt insusitato & inexplorato pulueri impartiat, neque solum cum eo communicet, sed totam propriè ad illum referat. Non faciet. Inexperta enim nouitate odit inclarescere, neque præcæteris eximiùs haberi velit edomandis prolato puluere febribus, cuius vires partim vetustate extinctæ, partim terrena quæ in eo regnat mole, oppressæ solennes bilis vtriusnis æstus frangere non possunt, nec visceribus concepta medullitus empyreumata comprimere, ne imposterum reuiuiscant.

Ergo febribus intermittentibus inutilis Chinchinæ puluis.

~~487~~

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Michael Langlois.	*M. Robertus Patin.*	*M. Ioannes Chartier, M. & P. R.*
M. Germanus Huraut.	*M. Michael de la Vigne.*	*M. Ioannes Pietre.*
M. Ioannes de Bourges.	*M. Petrus Perreau.*	*M. Claudius Germain.*

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS BOVIONIER, Parisiensis. A. R. S. H. M. DC. LVI.